Christiani Kisü ão 97. d. 25. Junii

dum [illegible]
ad [illegible]86. 3. [illegible]

vide Dreieri diss. contra Pontificios de hac materia anno 1649. editam p. 831.

vid. & hac mat. disp. Dreieri de Pontif. pag. 293. — 348. —

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
PRIMATU ROMANI PONTIFICIS

Quam

Deo annuente

Consensu Venerand. Facult. Theol.

PRÆSIDE

CHRISTIANO DREIERO

Pomer. S. Theol. D. & Profes. P.

ventilandam publicè

exponit

JOHANNES Hörnick

Plaviâ-Variscus

Ad diem 9. Junij

In Auditorio Majori

horis antemeridianis.

REGIOMONTI

Typis JOHANNIS REUSNERI

ANNO 1645.

VIRIS

GENERE, VIRTUTE AC ERUDITIONE NOBILIBUS atq; SPECTATISSIMIS

DN. FRIDERICO
DN. REINHOLDO } à Müllhen.

Patritijs Reip. Cniphovianæ primarijs;

ut &

Humanissimis, Doctissimis atq; integerrimis

DN. DANIELI RABPOLDO

Notario Senatus Heilgenbelensis fidelissimo;

DN BALTHASARI Fischern/

Aromatario ac Mercatori Palæopoleos præcipuo.

Mecœnatibus, Fautoribus ac Patronis suis magnis, multisq; nominibus devenerandis, colendis, cùm ingrati animi ob exhibita benificia contestationem, tûm in ulteriorem sui commendationem, hoc exercitium Theologicum consecrat

JOHANNES HORNICK. R.

Thesis I.

Romanam Ecclesiam semper magni æstimatam fuisse, in historiis reperimus, tum quòd esset in sede Imperiali, Roma; tum quòd ad Imperatorem eo in loco residentem proximum haberet accessum, & laborantibus alibi Ecclesiis facilè auxilium impetrare posset; tum deniq; quòd â maximis Apostolis Petro & Paulo fundata esset, quorum labor quamdiu in suo fructu perseveravit, & fidei doctrinâ & Ecclesiasticâ disciplinâ egregiè excelluit: Qua de causa & factum, ut ex ea longè major numerus Ecclesiarum excreverit, quàm ex ulla alia sede Apostolica, idq; partim Apostolis adhuc viventibus, partim post illorum tempora. Ecclesiæ dignitas & Episcopo quandam dignitatem conciliavit, ut præ cæteris eximio in honore ab omnibus haberetur, postquam tum consuetudo, tum statuta conciliorum obtinuerunt, ut autoritas Episcoporum â sedibus æstimaretur, & Episcopi cederent Metropolitanis, Metropolitani Primati seu Patriarchæ, Patriarchæ etiã ei, qui in sublimiori sede constitutus erat.

II. Hinc cum antiquitus quivis Episcopus alios errantes, etiã extra suam Ecclesiam, corrigere posset, hoc maximè Episcopo Romano ob sedis eminentiam convenire putabant, ut errantes alibi Episcopos moneret & in viam reduceret, sacrorum Canonum custos & vindex existeret, commune asylũ & refugiũ afflictis atq; illegitimè condemnatis præberet; unde nec facilè cæteri Patriarchæ aliquid decernebant, nisi & illum tanquam præcipuum in orbe Metropolitam consuluissent: Si qua difficultas in religione movebatur & schismata gliscebant, tutissimum existimabant cum Romano Patriarcha communicare, eidemq; veluti nodo Ecclesiarum præcipuo adhærescere, ne facilè â Catholicæ Ecclesiæ communione divellerentur.

III. Cæterùm hæc privilegia humanâ autoritate sibi concessa tandem in absolutum dominatum & Monarchiam Ecclesiæ visi-

bilem, non jure humano, sed divino superstructam convertit, venditans se Christi & Dei in terris vicarium, Petri successorem totiusq; Ecclesiæ Christi Monarham supremum, plenissima potestate regendi Ecclesiam à Christo instructum. Hæc potestas in eo consistit, quòd ille habeat autoritatem de rebus fidei determinandi & definiendi infallibiliter, & sit supremus omnium controversiarum judex, quod ipse solus possit leges ferre obligantes in conscientia, & solvere à quacunq; obligatione, dispensare contra jus divinum, solvere vota & juramenta & matrimonia, juxta illud Innocentij III. C. Proposuit. de Concess. Præb. Secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.

IV. Hinc quia caput Ecclesiæ est, ut putat, delegata potestate à Christo instructus, non solùm singulis Episcopis, sed & omnibus congregatis totaq; Ecclesia universali vult esse superior, & Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus & potestatem se habere existimat, ut loquitur Leo X. in Concilio Laterarensi Sess. 11. Ideò omnem potestatem Episcoporū à se solo suspendit, eamq; pro suo arbitrio dat & revocat, extendit & restringit: Hinc reservare ipsi certos casus coguntur, de quibus ipse solus judicet. Porrò ex eadem potestatis plenitudine potest indulgentias dare quibusvis peccantibus easdemq; applicare animabus in Purgatorio infernales pœnas perpetientibus. Quin tandem quia Monarcha Catholicæ Ecclesiæ audire vult, hinc sibi vendicat supremam quoq; in temporalibus potestatem, ut possit Imperatores, reges & principes dignitate ac potentia exuere & subditos eorum à jurato obsequio absolvere. Deniq; ex his deducunt, quòd subesse Romano Pontifici prorsus sit de necessitate salutis, sicut definit Bonifacius VIII. cap. Unam sanctam. Extravagante de Majoritate & Obedient. Subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus esse de necessitate salutis.

V. Cæterum tot sunt Romanæ Ecclesiæ privilegia, quæ vi hujus primatus jactitant, ut vix omnia enumerare valeamus. Pleraq; Gregorius VII. ex Seculo XI. in suis, quos vocat, Dictatibus complexus est lib. 2. post Epist. 55. Nec alij diversum ab ipso sentiunt, qui cum Pontifice faciunt, præsertim moderni Iesuitæ. Parisiensis tamē Academiæ Doctores moderationē quandam adhibuerunt: Christum enim supremam quidem potestatem in Ecclesia instituisse dicunt, sed eam esse in Ecclesia primariò, secundariò in Papa, utrumq; tamen jure divino, & in Ecclesia esse majorem, quam in Papæ, imò Papa potestatem minorem esse potestate Ecclesiæ, & proinde Ecclesiam universalem & Concilia eam repræsentantia esse supra Papam, qui, tametsi sit supra singulos Episcopos, non tamen super universos. Ideò porro dicunt, Papam correctioni Conciliorum subjacere, eum posse errare & ab Ecclesia in viam reduci. Quo nomine etiam viri docti Seculo XV. Concilium Basiliense convocârunt, ut sedes papalis aliquando reformationem subiret, quod tamen Eugenius IV. disturbavit suô Florentino conciliabulo, in quo inter cætera & dogma de primatu Pontificis fuit stabilitum. Definimus, *inquiunt ibi Patres,* sanctam Apostolicam sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanū successorē esse beati Petri, principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam â Domino nostro Iesu Christo plenam potestatē traditā esse, quemadmodum etiā in gestis. Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur, *ut habent literæ unionis cum Græcis in fine Concilij. Tom. 4.*

VI. Initio quidem nullum dubium esse potest, quin Christus post ascensionem suam in cœlos adhuc sit caput Ecclesiæ suæ:

quod quidem munus ita obit, ut quantum ad externa, non nisi ministris indigeat: omnia enim ipsi soli tanquam unico capiti adscribuntur, cæteri qui cum hoc capite copulantur, vel membra tantum dicuntur, vel in regimine ministri. Rom. 12. v. 15. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autẽ alter alterius membra. *Nullum hîc aliud caput agnoscit Apostolus, nisi Christum, qui præter Christum sunt eos membra vocat, non minus Petrum quàm alios Apostolos & fideles cæteros includens. Quin quod majus est, hanc ipsam rationem capitis, & hoc regimen in Ecclesiam demum Christus perfectè accepit post ascensionem suam in cœlos* postquam Pater ipsum constituit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; & omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. *Eph. 1. v. 20. & seqq. En quomodo ea ipsa causa, quam allegant adversarij, constituendi vicarium caput, illud prorsus excludat. Eo ipso enim quòd ascendat in cœlos & consedit ad dexteram Dei, plenè caput Ecclesiæ factus est, idq; non solùm in futuro, sed & in hoc seculo super Ecclesiam in terris adhuc militantem. Jam ne quidem in mundana republ. tunc vicario opus est, quando primùm princeps est constitutus, & potissimum munus suum exequitur.*

VII. Quòd Christus post ascensionem suam adhuc gubernet Ecclesiam, sæpius meminit scriptura, sed vicarij capitis non meminit: Ipse enim est Caput corporis Ecclesiæ qui est principium, primogenitus ex mortuis ut sit in omnibus ipse primatum tenens *Col. 1. v. 18. & sic omnia per eum obeuntur in Ecclesia sine præsentia visibili: spiritualia enim sunt quæ in Ecclesia aguntur, & ex quibus constat.* Per ipsum Deus omnia

mnia reconciliat in ipsum, pacificans per sangvinem crucis ipsius sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. *v. 20. Ipse per Spiritum distribuit varia dona, quibusdam sapientiam, quibusdam scientiam, quibusdam fidem, aliis gratiam sanandi infirmos, aliis prophetiam, quibusdam genera linguarum; quæ tamen diversa membra tam differentibus donis instructa non aliunde unitatem habent, quam à Christo:* sicut enim corpus unum est & membra habet multa; omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus *se habet cum Ecclesia sua. 1. Cor. 12. v. 12. Ideò Christus, tanquam caput, Ecclesiæ suæ dat unitatem, & utitur quidem variis membris, sed non alio capite.*

VIII. Idem patet ex perpetuo Christi sacerdotio, quod describitur Heb. 7. v. 17. & seqq. Ponit enim autor Epistolæ discrimen inter sacerdotium Christi & sacerdotium Leviticum: quod hoc morte interruptum fuerit, illud verò æternum maneat: & alij quidem plures, *ait v. 23.* facti sunt sacerdotes idcircò, quòd morte prohiberentur permanere; hic autem quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, *successorē alium Pontificem non admittit, nec vicariô indiget, quandoquidem ipse adhuc summi Pontificis munus obit. Sit ita non amplius eodem modo hoc fungatur officio, ut antè, inde non inferetur, simpliciter ipsi vicario opus esse, sed tantùm quoad modum agendi fortè illum non repugnare.*

IX. Degens adhuc in terris Dominus informabat, arguebat, consolabatur, errantes corrigebat summâ divinâ autoritate & virtute: In his vicarium substituit non hominem, sed spiritum S. qui Christi vices eâ ratione, quâ officio in terris ex autoritate fungebatur, sustinuit & adhuc sustinet. Expedit vobis, *inquit,* ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non venit ad vos; si autem abiero mittam eum ad vos. *Joh. 16. v. 7. cap. 14. v. 18. 26.* Non relinquam vos orphanos, Paracle-

racletus Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. *Igitur Spiritus S. vices Christi obijt in Ecclesia post ascensionem ejus & adhuc obibit usq; ad finẽ mundi, adeoq; ut antè discipulos coràm informabat & solabatur Christus, sic jam illas partes obit per Paracletum Ecclesiæ datum. Unde Tertullianus in lib. de præscriptionibus & de velandis virginibus,* vicarium Domini *appellat spiritum S. item,* vicariam vim Spiritus S. *Discipulos ut non nisi ad partes ministeriales vocavit; sic & ÿs, non nisi easdem reliquit, scilicet testandi de doctrina, factis, vita & miraculis suis quæ coràm viderant & audierant, sicut ait:* Qvum venerit Paracletus, qvem ego mittam vobis â patre Spiritum veritatis, qui â Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis *Joh. 15. v. 26, 27.*

X. Sic cum Apostoli in locum Judæ Matthiam sufficerent, dicebant, oportere unum ex multitudine testem resurrectionis Christi fieri *cum cæteris Apostolis. Act. 1. v. 22. ubi & apertè Apstolatus dicitur* διακονία, *quæ Mathiæ fuit demandata. v. 25. Item cum Diaconos constituerent, qui ministrarent mensis, ipsi sibi nihil aliud reservabant, quàm orationem &* διακονίαν τȣ̃ λόγȣ. *Act. 6. v. 4. non potestatem condendi leges, instituendi tritribunal, imperandi, puniendi, dominandi, quippe quæ Christo capiti Ecclesiæ competunt, Apostoli tantum ministerium obtinent. Sicut & Paulus dicit, Christum sibi dedisse* διακονίαν τῆς καταλλαγῆς *2. Cor. 5. v. 18. Ministri igitur Ecclesiæ sunt, non domini.* Quid est Apollo, *inquit,* quid Paulus? ministri sunt per quos credidistis. *1. Cor. 3. v. 5. mox Apostolos vocat* συνεργȣ̀ς θεȣ̃, *non aliter, quã quòd, sicut in agricultura, qui plantant aut rigant, Deo cooperentur, aut sicut structores ædium Ecclesiam super Christum unicum fundamentum erigant, quod solum eam fulcit & sustentat. v. 11. Et hoc quidem generatim de*

omnibus

omnibus asserit, quando v. 22. ejusmodi reductionem facit: Sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura, omnia vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei; *qua gradatione semper ascendit ad superius: Nam supra Apostolos tanquam ministros Ecclesiam collocat, supra Ecclesiam Christum, & supra Christum, ut hominem, Deum.*

XI. Apparet igitur nihil aliud datum fuisse Apostolis, nisi purum ministeriũ fidei & Evangelij Christi, ut sicut Christus in diebus carnis, obirent in mundo, prædicarent & Sacramenta administrarent: Has enim operas ministeriales cum Christus in gloria constitutus non amplius exequatur, vicarios seu legatos constituit Apostolos; sicut Palus 2. Cor. 5. v. 20. Pro Christo, *inquit,* legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. *Et Eph. 6. v. 20.* pro Evangelio se legatione fungi *dicit,* in catena. *Jam notum est, legatum suum principalem, à quo missus est, repræsentare & vices ipsius supplere.* Misit Filium Pater exhortari, *ait Chrysostomus Hom. 11. in 2. Cor.* & legatione fungi apud humanum genus pro se; quoniam autem ille occisus abijt, nos legationem suscepimus & pro illo & Patre exhortamur vos.–Igitur pro Christo legatione fungimur, hoc est illius loco, nam nos quæ illius officij sunt suscepimus. *En Apostolos omnes Christi vicarios in ministerio Evangelij, & omnes inter se æquales. Ad quid igitur sodes unum aliquem Christi vicarium Ecclesiæ Monarcham comminiscemur? cùm Christus adhuc sit Caput, Rex, Monarcha Ecclesiæ suæ in actu, cum Paracletum vicarium habeat in ijs, quæ ex autoritate in terris obivit, in ministerialibus omnes Apostolos ex æquo vicarios & legatos constituerit*

XII. Si respiciamus munus Apostolis demandatum, secundũ singulas partes, in omnibus reperiemus pares. Ex æquo enim missi sunt & pariter cura Ecclesiæ ipsis commissa est. Joh. 20. v. 21.

Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos, *omnes Apostolos, non unum aliquem ex ipsis. Et Matth. 28. v. 19.* Euntes docete omnes gentes: *Nec ullibi hæc missio restricta, limitata aut distincta est. Donis etiam omnes pariter instruxit, effundendo super ipsos Spiritum S.* Cum complerentur dies Pentecostes repleti sunt omnes Spiritu S. *Act. 2. v. 1, 4. & cap. 4. v. 31.* Qvum oràssent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritù S. & loquebantur verbum Dei cum fiducia. *Quare ut Petrus accepit Spiritum S. sic & Jacobus & Andreas & reliqui similiter. Præterea Christus omnes ex æquo instruxit potestate remittendi & retinendi peccata. Joh. 20. v. 23.* Quibus remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. *Matth. 18. v. 18.* Quæcunq; alligaveritis super terram erunt ligata & in cœlo, & quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. *Quid hoc quæso differt ab eo, quòd Petro dictum Matth. 16. v. 19.* Tibi dabo claves regni cœlorum & quodcunq; ligaveris super terram erit ligatum in cœlis, & quodcunq; solveris super terram erit solutum in cœlis? *quid est clavis, nisi potestas? quid ligare & solvere, nisi retinere & remittere peccata? At hoc omnibus tributum vides sine discrimine. Forsan Petro primò datum est, quod postea cæteris; at aliud est claves illum primum accepisse, aliud solum.*

XIII. Cyprianus equidem scriptor III. Seculi loca ista comparans inæqualitatem videre non potuit, quòd tamen Dominus ratione ordinis primum fecerit Petrum, in eo Ecclesiæ unitatem commendatam dicit lib. de Simplicitate Prælatorum seu de unitate Ecclesiæ in princip. Loquitur, *inquit,* Dominus ad Petrum: Tibi dabo claves regni cœlorum &c. & eidem post resurrectionem suam dicit, pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam pa-

am parem potestatem tribuat & dicat: sicut misit me Pater &c: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua autoritate disposuit. Hoc erant utiq; cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. *Minus adhuc Hieronymus ullam inæqualitatem hîc animadvertere potuit, qui jam sub finem Seculi IV. floruit, lib. 1. adversus Jovinianum:* At dicis, *inquit*, super Petrum fundatur Ecclesia; licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.

XIV. Quòd per claves nihil aliud intelligatur, qàm potestas remittendi & retinendi peccata, unanimi consensu docent veteres, idq; ex ipsis verbis evidens est; attamen illud in præsenti urgere supersedemus, sufficit ostendisse omnibus ex æquo hanc potestatẽ obuenisse; aut igitur omnes & singuli erunt Ecclesiæ principes ac Domini, aut Dominatus quidam per clavium traditionem non infertur. Manifestum igitur quòd in omnibus Apostoli inter se fuerint æquales; omnes eodem modo missi sunt, omnes eadem autoritate docendi instructi sunt, eadem ad hoc munus dona acceperunt, ex æquo potestatem ligandi & solvendi habuerunt. Nec quicquam hîc ad Apostolicum munus reliquũ est, quod non æqualiter Dominus inter illos fuerit partitus: imò nihil est, ad supereminentem autoritatem pertinens, quod Dominus ab ipsis non removerit. Nam cum primatus inter discipulos in quæstionem veniret: Reges gentiũ, *inquit*, dominantur eis, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur; vos autem non sic, sed qui major est inter vos, fiat sicut junior, & qui præcessor est, sicut minister. *Luc. 22. v. 25, 26. Non supponitur quod aliquis sit major & præcessor, sed si quis esse velit, ne superio-*

 perio-

periorem cæteris se faciat, monetur: Qui voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus, *ut hæc verba Matthæus c. 20. v. 26, 27. effert.*

XV Sciendum, quòd Christus hanc admonitionem instituerit, cum jam dudum Petro dixisset: Tibi dabo claves. Quodsi igitur Petrus jam erat major, vel caput Ecclesiæ designatus, cur etiam ipse contendit cum cæteris, eodem ambitionis morbô correptus, quem Christus in cæteris sanare instituit? cur Christus & illum objurgat? cur non fatetur Dominus, se Petro tradidisse primatum, & qualis ille sit explicat? Et dic sodes: si Petrus jam fuit Monarcha Ecclesiæ designatus, quomodo Apostoli tam obliviosi fuerunt, ut, Petro jam dominatum delatum, nō meminerint? quomodo Jacobus & Johannes tam audacter petierunt primas sedes apud Christum? cur indignati fuerunt decem? inter quos & Petrus fuit. Matth. 20. v. 24. Quod omnibus discipulis, *inquit Cyrillus lib. 20. Thesauri c. 5.* quasi pro mercede benevolentiæ erga Christum erat propositum *(Matth. 19. v. 28.)* soli rapere studuerunt. Verum ne inanis gloriæ cupiditate victi viderentur, ipsi quidem pudore silent, matris verò ministerio utuntur.—Apertè igitur per hæc verba videtur mulier id, quod omnibus debebatur, ad filios solummodo suos velle traducere. Nam nisi hoc esset, qua ratione, quod datum erat omnibus discipulis, de numero quorum etiam filij ejus fuerunt, id ipsa rursus petit? non aliâ videlicet, nisi ut commune omnium præmium ad suos transferret. Molestè tulisse cæteri discipuli scribuntur, quoniam propositum omnibus honorem petitione mulieris rapi videbant, & certè quantum ad ipsam & ad filios suos fuerat, ereptus hic honor cæteris fuisset. Salvator a. universaliter, ne Zebedæi filios turbaret ad doctrinam ipsorum & omniū dixit: Gentium reges &c.

Nihil

XVI. Nihil igitur est, quòd Apostolos in cura super Ecclesiam inæquales facere possit, neq; praxis eorum aliud docet. Semper enim communi opera & pari autoritate demandatum munus exeqvuntur. Sic duodecim convocantes totam multitudinem discipulorum, constituerunt septem diaconos. Act. 6. v. 2. Si Petrus cæteris omnibus fuit superior & caput Ecclesiæ, cur non seorsim ejus fit mentio? cur omnibus Apostolis tribuitur, quod solius Petri esse adversarij dictitant? Scilicet Petrus Collegio Apostolico inferior fuit, quod & potestatem eum mittendi habuit, sicut dicitur Act. 8. v. 14. Quum audivissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quòd accepisset Samaria verbum, miserunt ad eos Petrū & Johannē. *Nū caput mittitur à membris? princeps à subditis? Minor enim majorē propriè nunquā mittit, sed major inferiorem, vel certè ad minimū par parem. Cum quæstio gravissima de Circumcisione suboriretur in Ecclesia Paulus & Barnabas* statuerunt ascendere ad Apostolos & Presbyteros in Jerusalem super hac quæstione. *Act. 15. v. 2. Cur ad Apostolos & Presbyteros, & non ad Petrum, si ille caput Ecclesiæ, & unicus Christi in terris vicarius fuit? Num in Monarchia res magni momenti totum regnum concernentes ad multos deferri solent? Toti n. collegio hîc omnis potestas, totumq; negotium tribuitur.* Qvum venissent Hierosolymam suscepti sunt ab Ecclesia & ab Apostolis & senioribus. *v. 4. Ad Apostolos iuerunt, Apostoli eos susceperunt. At forsan Petrus cæteros convocavit: Nihil minus;* convenerunt Apostoli & seniores seu presbyteri videre de verbo hoc. *v. 6. Et quamvis Petrus tanquam senior primus dixerit sententiam, quā & ulteriùs explicavit & confirmavit Jacobus, decretum tamen Synodale ex æquo omniū Apostolorū est:* Placuit Apostolis cum omni Ecclesia eligere viros. *v. 22. Epistola synodalis, in qua maximè primatum Petri elucere par erat, sic infit:* Apostoli & seniores & fratres his qui sunt Antiochiæ & Sy-

riæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem. *v.23.* Visum est Spiritu S & nobis nihil ultra vobis imponere oneris *v.28. Num hæc statum Monarchicum præ se ferunt, nec potius manifestam Aristocratiam, ubi toties sine omni exceptione, regimen Ecclesiæ optimatibus ex æquo tribuitur, sine ullo inæqualitatis indicio?*

XVII. Paulus adeò non cedit Petro aut ulli Apostolorum, ut se nihilo minorem dicat ijs qui sunt ὑπὲρ λίαν ἀπόστολοι *2. Cor. 11. v. 5. cap. 12. v. 11. Petrus verò adeò non est caput & fundamentum Ecclesiæ & Apostolorum, ut statim initio crescentis Ecclesiæ graviter lapsus ab novissimo Apostolorum correctus & in viam reductus fuerit.* Qvum venisset Petrus Antiochiam in faciem ei restiti, *ait Paulus,* quia reprehensione dignus erat. *Gal. 2. v. 11.* Qvum vidissem, quod non rectè ambularet ad veritatem Evangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Judæus sis, gentilium more vivis, non Judaicè, quomodo gentes cogis judaizare? *v.14. Verum hanc non ex pacto simulatam, ut voluit Hieronymus, reprehensionem fuisse, cum Cypriano, Augustino & alijs, admittit etiam Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. c. 16. Quod si igitur reprehensio Pauli vera, justa & legitima est, sequitur Petrum verè errasse, sive in vita, sive in doctrina; sanè non rectè ambulare ad veritatem Evangelij & cogere gentes judaizare videtur omninò errorem in doctrina inferre, siquidem hoc est articulum de libertate Christiana convellere, vel in dubium vocare. Hoc igitur fecit Petrus, si non directè, tamen indirectè & consequenter, quod gentiles ex ipsius conversatione & simulatione talem opinionem conciperent. Unde August. lib. 7. de Baptis. contra Donatistas cap. 1. dicit, Petrum* contra veritatis regulam, quam postea Ecclesia tenuit cōegisse gentes judaizare.

XVIII. Hiccine est Eccl siæ caput & fundamentum? hiccine est Petra, super quam fundata est Ecclesia, qui sine omni errore

erran-

errantes corrigere & fratres confirmare potest? Hiccine est caput & princeps Apostolorum, qui tam vehementer coram tota Ecclesia increpari potuit? Confictus igitur est iste primatus, nec ullum pro Monarchia Petri, aut inæqualitate Apostolorum in officio Apostolico, in Scripturis & puriori antiquitate est vestigium. Nihilominus tam rigidi non sumus, quin Petro quasdam personales prærogativas præ cæteris Apostolis concedamus: Fuit enim senior cæteris, ut dicit Hieronymus lib. 1. advers. Jovin. & primus omnium vocatus Christo adhæsit. Matth. 4. v. 18, tū etiam confidentia & ardore charitatis majore præditus reperitur, quam reliqui. Joh. 21. v. 15. In omnibus locis *inquit Hieronymus l. 2. in Matth. cap. 14.* ardentissimæ fidei invenitur Petrus. *Et Cyrillus lib. 16. in Joh. cap. 64.* Præveniebat, *inquit,* alios Petrus: ardore namq; Christi præcipuo fervens, & ad faciendum & ad respondendum paratissimus erat. *Hæ personales prærogativæ; quæ certè in nullum successorem transire possunt, fecerunt, ut Petrus præ cæteris honoratior videretur; & hinc Patres eum tam splendidis ornant titulis, ut appellent caput principem, præcipuum, verticem Apostolorum.*

XIX. Jam quicquid Apostoli potestatis ordinariæ ad regendam Ecclesiam necessariæ acceperunt, id totum in Episcopos & Presbyteros ab se ordinatos transmiserunt virtute illorum verborum Joh. 20. v. 21. Sicut misit me Pater ita & ego mitto vos. *Proprium autem munus Apostolorum fuit, ipsos tanquam testes oculatos ab ipsomet Christo immediatè missos primùm prædicare Evangelium in toto orbe, & fundare Catholicam Ecclesiam, quo respectu successores habere non possunt: Neq; enim tale quid Ecclesiæ semper necessarium est: Sed potestas docendi, administrandi Sacramenta, dispensandi claves, mittendi alios Pastores in ipsis erat ordinaria & semper necessaria Ecclesiæ, eamq; Apostoli in toto orbe exercere poterant, attamen actu non nisi in particulari Ecclesia exercuerunt; atq; sic habitu quasi fuerunt universa-*

versa-

versales Ecclesiæ per totum orbem Episcopi, at actu & exercitio tantum in eo loco, ubi pro tempore versabantur, in quo pedetentim sibi successores designabant, quod universalibus doctoribus seu Episcopis in Ecclesia plantata non amplius esset opus. Sic Paulus Ephesi constituit Episcopum Timotheum, 1. Tim. 1. v. 3. & Titum Cretæ. Tit. 1. v. 5.

XX. Hinc sæpius apud Patres Episcopi dicuntur Apostolorum successores, sic tamen ut ipsi Apostoli inter Episcopos alicujus loci speciatim sic dictos non numerentur, quia non uni alicui, sed multis succedebatur, & quia Apostoli nullibi fixam sedem habebant. Ignatius Epist. l. 12. Evodium primum post Apostolos Antiochenæ Ecclesiæ gubernacula sortitum esse scribit, sicut & Eusebius l. 3. c. 16. dicit, Evodium primum Antiochiæ Episcopum fuisse, secundum Ignatium. Irenæus lib. 3. c. 3. Polycarpus, *inquit*, ab Apostolis in Asia in ea, quæ est Smyrnis, Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate, docuit. *Et Tertullianus lib. de præscript.* Edant, *ait*, origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordines Episcorum suorum ita per successiones ab initio decurrentes, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit habuerit autorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Johanne collocatum, refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum: Proinde & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant.

XXI. Romanam Ecclesiam Petrum & Paulum fundasse veteres ferè communiter testantur, sed ita, ut itidem eos tanquam Apostolos in serie Episcoporum demptos velint. Irenæus lib. 3. c. 3. Fundantes igitur, *inquit*, & instruentes beati Apostoli

Eccle-

Ecclesiam Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt, succedit Anacletus, post eum Clemens. *Idem habet Euseb. l. 5. c. 6. qui & lib. 4. c. 1.* Alexander, *inquit,* quintus, successione â Petro & Paulo ducta, Pontificatum obtinet. *Et Epiphanius Hæresi 27.* Romæ, *inquit,* fuerunt primus Petrus & Paulus Apostoli ijdem ac Episcopi, deinde Linus, deinde Clemens. *Neq; verò solus Petrus Romæ docuit, sed & Paulus, & plus forsan ibi laboravit, quam Petrus, quod equidem ex Actis & Epistolis Paulinis manifestum est, ubi plurima Pauli, nulla Petri Romæ peracta opera describitur. Dionysius Corinthius apud Eusebium l. 2. c. 25. scribens ad Romanos:* Petrum & Paulum, *inquit,* qui Romanos & Corinthios primum in Ecclesiam Christi inseruerunt, in suum locum conclusistis. *Tertullianus lib. de præscript. advers. Hæreticos c. 24. tres fundatores hujus Ecclesiæ nominat:* Felix Ecclesia, *inquit,* ubi totam doctrinam Apostoli cū sangvine suo profuderunt, ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur; ubi Paulus Johannis exitu coronatur; ubi Apostolus Iohannes, postquam in oleū igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.

XXII. *Præterea ubicunq; Apostoli docuerunt & Ecclesias fundarunt, ibi quasi cathedram suam collocârunt, in qua sequentiū temporū doctores & Episcopi successerunt. Tertullianus lib. de Præscript. advers. Hæret. c. 14.* Age jam, *inquit,* qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscujusq;. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum, si non longè es â Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum, si

autem Italiæ adjaces habes Romam, unde nobis quoq; autoritas præstò est. *Hieronimus quoq; Epist. 38. ad Damasum & Marcellam:* Prædicatione quoq;, *inquit*, cathedræ Marci Evangelistæ, cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet.

XXIII. *Ex quibus omnibus manifestum est, quod Petrus Romæ non solùm, sed & Antiochiæ & alijs in locis suam cathedram habuerit, quòd & Pauli, & fortè etiam Johannis Evangelistæ cathedra ibi constituta fuerit, quòd Episcopus Romanus, non magis succedat Petro, quam Paulo & Johanni, quod non minus Episcopus Hierosolymitanus & Antiochenus & Corinthius sederint in cathedra Apostolica, quàm Episcopus Romanus; summatim quòd Episcopus Romanus non sit specialis Petri successor, nec Romana Ecclesia ex prædicatione & cathedra Petri singularem quandam præ reliquis excellentiam acceperit, nedum in reliquas Ecclesias dominatum. Quin potiùs ut Apostoli in forma Aristocratiæ Ecclesiam gubernârunt; sic & successores eorum Episcopi eandem formam, quam diligentissimè in regimine Ecclesiastico conservârunt, dignitas seu prærogativa uni præ altero non nisi ratione urbium vel sedium digniorum tributa fuit.*

XXIV. *Initio Seculi II. suboriebatur controversia de Paschate celebrando, cum adhuc Polycarpus Smyrnæorum, Anicetus Romanorum esset Episcopus. Et sanè ille Romam profectus Anicetũ non ut caput & principem suspexit, sed cum eo ut pari conversatus est, quod patet ex verbis Irenæi apud Euseb. l. 5. c. 23.* Qvum beatus Polycarpus Romæ sub Aniceto ageret, ac propter alia minuta quædã inter se discrepâssent, mox conciliati sunt, de hoc verò capite nihil inter se contenderunt. Neq; enim Anicetus Polycarpo suadere poterat, ne servaret, quæ cum Johanne discipulo Domini nostri ac reliquis Apostolis quibuscum fuerat conversatus, semper servaverat; nec Polycarpus Aniceto suasit ut

ser-

servaret. *Accrevit verò controversia sub finem seculi, cum Victor Episcopalem sedem Romæ occuparet & Ecclesias à se dissentientes à communione amputare conaretur. Quod tamen illæ non solùm nullius æstimârunt, sed & vehementer in eum tanquã turbatorem Ecclesiæ invectæ sunt.* Extant verba illorum *ait Eusebius l. c.* qui Victorem acriter reprehenderunt, ê quibus & Irenæus nomine fratrum per Galliam, quibus præerat, scripsit. *Polycrates quoq; tunc Ephesiorum Episcopus apud Eusebium l. d.* se nihil turbari, *ait*, illis, quæ terrendi gratiâ objiciuntur: Etenim, *inquit*, majores mei Deo magis, quam hominibus obediendum esse dixerunt. *Numquid hoc Monarchiam sapit & primatum Romani Episcopi, quòd ipsius definitione non acquiescunt, edictum contemnunt, fulmen susq; deq; habent, quin acerrimè ipsum insectantur, reprehendunt, corrigunt?*

XXV. Seculo III. Cryprianus Cathaginensis Episcopus & martyr, singulare Ecclesiæ lumen, se Episcopo Romano nihilo inferiorẽ facit: Non solùm enim Cornelium, Stephanum, Lucium, ad quos plurimas scripsit Epistolas, subinde fratres & collegas vocat, sed & ipsum Cornelium ob susceptum Fœlicissimum & Fortunatum aliosq; Clericos ex Ecclesia ejectos, acerbis insectatur verbis l. 1. Epist. 3. ad Cornelium, quòd aliena judicia ad se traheret, quòd Episcoporum alienorum jurisdictionem usurparet; quòd impediret, ne Ecclesiæ à suis Episcopis liberè regerentur. Pariter invehitur in Stephanum, in controversia de rebaptizandis Hæreticis inter Africanos & Romanum Episcopum agitata: Sic enim scribit ad Pompejum Epist. 74. Edit. Pamel. Desiderasti in notitiã tuam perferri quæ mihi ad literas nostras Stephanus frater noster rescripserit: misi tibi rescripti ejus exemplum, quô lectô magis & magis ejus errorem devitabis, qui hæreticorum causam contra Christianos & contra Ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cætera vel

superba vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperitè atq; improvidè scripsit, etiam illud adjunxit &c. *Quis credat Cyprianum de capite & monarcha Ecclesiæ ita scripturum, qui singularis est ordinis Ecclesiastici adsertor?*

XXVI. Firmilianus quoq; Cappadociæ Episcopus in eadē causa ad Cyprianum scripsit, multo acerbioribus verbis Stephano insultans Epist. 65. apud Cyprianum, ubi, cum ei inscitiæ, discordiarum & Schismatis notam inussisset, subjicit: Hoc est servasse unitatem Spiritus in conjunctione pacis, abscindere se â charitatis unitate, & alienum se per omnia fratribus facere, & citra Sacramentum & fidem contumacis furore discordiæ rebellare. Apud talem potest esse unum corpus & unus Spiritus, apud quem fortasse ipsa anima una non est, sic lubrica & mobilis & incerta. *Hæccine in vicarium Christi & caput universalis Ecclesiæ quadrant? Ideò manifestum est, quòd his temporibus papatus Romanus mundo fuerit ignotus.*

XXVII. Seculo IV. in Concilio Niceno demum id, quòd hactenus consuetudine introductum erat, ut ab urbibus Episcoporum dignitas æstimaretur, & Metropolitani cæteros anteirent, decretis confirmatum est: Sic enim habet Can. 6. in communi lectione ex Græco: Antiqui mores, qui sunt in Ægypto, Lybia & Pentapoli obtineant, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quoniam & Romæ Episcopo hoc est consuetum. Similiter autem & in alijs provincijs privilegia serventur Ecclesijs. *Ubi tametsi Synodus non primum constituit limites Ecclesiis Patriarchalibus, eos tamen consuetudine jam constitutos firmat ac fulcit, præcavens, ne qua suos terminos excedat, sive Alexandrina, sive Romana fuerit: Nam & hanc suos proprios limites habere, ex eadem consuetudine statutos, innuit. Neq; glossa Bellarmini lib. 2. de Pontifice*

tis. c. 13. quia Romanus Episcopus consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Lybiæ & Pentapolis, quicquam valet: Non enim de permissione sermo est, sed jure & privilegijs sedium Patriarchalium, cui ob comparationem etiam Romana sedes annumeratur. Igitur Ecclesia Romana tunc in œcumenico Concilio habita fuit particularis, una ex Patriarchalibus sedibus, non supra sedes Patriarchales constituta, sicut jam dominium sibi arrogat.

XXVIII. Quod ipsum & Athanasius, qui Concilio interfuit, & de Monarchia Ecclesiæ nihil quicquam novit nobis exponere potest in Epist. ad solitariam vitam agentes Tom. 2. Ne Liberio quidem, *inquit*, Romano Episcopo pepercerunt, nullâ reverentiâ ducti vel quòd sedes illa esset Apostolica, vel quòd Roma metropolis esset Romanæ ditionis, vel quòd eos viros Apostolicos in suis literis appellassent. *Cur non dixit, quòd Liberius caput universalis Ecclesiæ, & Christi in terris vicarius esset? Id enim inprimis conveniens fuisset, dum quantum potest, ejus dignitatem exaggerat. Postea cum unà cum Paulo Constantinopolitano sede ejiceretur à Constantio Imperatore, Romam fugit ad Julium tunc temporis Romanum Episcopum, non quòd cum caput Ecclesiæ æstimaret, sed quòd uni Patriarchæ, reliquos monere ex officio incumberet, & quòd inprimis Romanus apud Imperatorē in occidente aliquid valeret. At verò cum Julius imperare Episcopis in oriente conaretur, tantum abfuit, ut parerent, ut potiùs quantum fieri potuit, conatibus & mandatis ejus obsisterent.*

XXIX. Hac de re Socrates lib. 2. c. 11. sic loquitur: Eodem tempore Paulus Episcopus Constantinopolis, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ urbis minoris Galatiæ, & Lucius Hadrianopolis, alius ob aliam causam accusati & Ecclesiis suis ejecti Romæ omnium civitatum facilè principi versantes, Julium Episcopum Romanum de

suo ipsorum statu certiorem faciunt. Ille verò quoniam Ecclesia Romana privilegium præter cæteras obtinebat, literis suis ad Episcopos orientis liberiùs perscriptis, illorum partes studet tueri. In orientem literas mittit, quo & suus cuiq; locus restitueretur, & eos, qui illos temerè abdicaverant, graviter reprehenderet. Illi decedunt Româ literisq; Episcopi Julij confisi ad suas ipsorum Ecclesias redeunt: literas, ad quos scriptæ erant, mittunt. Hi ubi eas acceperunt, Julij reprehensionem contumeliæ loco ducunt. Concilium Antiochiæ convocant. Ibi simul atq; convenerant, de communi omnium sententia, Epistolam conscribunt, per quam Julium contra acrius insimulant, ostenduntq;, si qui eorum arbitrio Ecclesia fortè exacti essent, rem ab eo non debere decerni. Nam quando ille Novatum Ecclesia exturbârat ipsos minimè contradixisse: Ista Episcopi orientis Julio Episcopo Romano per literas significarunt. *Idem pluribus describit Sozomenus l. 3. c. 7.*

XXX. *In occidente Hieronymus quoq; summã æqualitatẽ Episcoporũ his asserit verbis. Epist. ad. Evagriũ* Nec altera, *inquit.* Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Gallia & Britannia & Africa & Persis, & Oriens & India & omnes barbaræ nationes, unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si autoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicunq; fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubij, sive Constantinopoli sive Rhegij, sive Alexandriæ sive Tanis, ejusdem meriti ejusdem est & sacerdotij. *Sic ille Romanum Episcopum cæteris adæquat, qui aliàs tanti æstimavit Damasum. Ideò tunc temporis nihil dum de œcumenico Pontifice in Græca & Latina Ecclesia fuit creditum.*

XXXI. *Seculo V. Augustinus Hipponensis in Africa Episcopus,*

von

non solùm ejusdem potestatis Ecclesiam Africanam & Romanam facit, comparans Stephanum & Cyprianum lib. de unico Baptismo contra Petilianum c. 14. Tom. 7. Sed & cum Africana Ecclesia papatui Romano vehementer restitit in Carthaginensi Synodo VI. Titillabat Episcopos Romanos, quòd passim in alijs Ecclesiis accusati Romam refugium caperent, inde se pedetentim efferre supra cœteros Episcopos cœperunt, & præcisè recipi ab omnibus voluerunt, quos ipsi juberent. Ideò Africani convenientes ejusmodi Canonem fecerunt, qui est in Synodo sub Bonifacio & Cœlestino LXXII. Quicunq; non communicant in Africa, si in transmarinis ad communicandum obrepserint, jacturam Clericatus excipiant *Hic Canon, cum præcipuè respiceret Romanam Ecclesiam, procul dubio movit Zosimum Episcopũ Romanum, præsertim cum Apiarius Presbyter Ecclesiæ Siccensis, homo multis sceleribus insignis, ab Africanis ejectus Romam fugeret, ut in Africã legationẽ destinaret, admonens Episcopos, ut Apiarium reciperent & canones Nicenos observarent, in quibus statutum esset, licere accusatis ad sedem Apostolicam Romanam appellare. Convenerunt ducenti septendecim Episcopi, inter alios Augustinus, Prosper, Orosius & multi alij præstantes viri & responderunt Bonifacio, qui Zosimo successerat, se canones Nicenos servaturos, modò scirent, esse genuinos. Interim Constantinopolin & Alexandriam scripserunt, petentes à Patriarchis exemplaria canonum Nicenorum incorrupta, quæ cum accepissent & canones Zosimi supposititios deprehendissent, ad Cœlestinum Pontificem Zosimi successorem acres dederunt literas.*

XXXII. Illæ in Synodo Africana sub Bonifacio & Cœlestino cap. 105. Tom. 1. Concil. sic habent: Deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultrà velitis recipere: quia hoc etiam Niceno Concilio definitum, facilè advertit venerabilitas tua. Nam etsi de inferi-

inferioribus Clericis, vel laicis videtur tibi præcavere, quantò magis de Episcopis voluit hoc observari, ne in sua provincia communione suspensi â tua sanctitate vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui — Decreta Nicena sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim justissimeq; providerunt, quæcunq; negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; nec unicuiq; provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, quæ æquitas â Christi sacerdotibus & prudenter videatur & constantissimè teneatur. Maximè quia unicuiq; concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorũ ad Concilium suæ provinciæ, vel etiam universale provocare. Nisi fortè quisquam sit, qui credat, uni alicui posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis Concilio denegare — Ut aliqui â tuæ sanctitatis latere mittantur, nullum invenimus patrum Synodo constitutum. Quin illud quod pridem per eundem coëpiscopum nostrum Faustinum tanquam ex parte Niceni Concilij ex fide transmisistis, in Concilijs verioribus, quæ accipiuntur Nicena, tale quid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros quibusq; petentibus nolite mittere; nolite concedere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.

XXXIII. Huic Concilio & interfuit & subscripsit Augustinus, in quo certè non ex illo, Tu es Petrus, Pasce oves meas, disputatum est de primatu & potestate Romani præsulis, sed ex decretis Conciliorum, ex quibus tamen tunc temporis tot sancti viri congregati, nondum cognoscere potuerunt potestatem Romanæ Ecclesiæ super alias; quin potiùs Episcopum ejus & decretis Nicenæ Synodi & cuivis alij Concilio œcumenico subjectum esse, existimârunt, eumq; graviter monuêrunt ne typhum seculi, Jurisdictionem politicam in Ecclesiam inducere & in alios sibi arrogare conaretur. Quomodo hoc cum visibili Monarchia Ecclesiæ consistere posit, viderint adversarij, nos videre non possumus. Et proinde cum primatus Papæ universali Ecclesiæ in primis quinq; seculis ignotus sit, nos eum cũ cæteris abusibus & erroribus pedetentim invectum, & ad hanc formam, quam modò conspicimus, redactum, meritò reformandum & abolendum pronunciamus.